



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola X. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

EPISTOLA X.

EIDEM.

Carissime in Christo Frater. Feriâ tertîâ
 redux perveni Manaparem. novit Deus
 Dominus Noster quantum hoc itinere laborum
 exhausserim. Profectus cum viginti To-
 nis consolatum Christianos dispersos à Bada-
 gis, quos in Speluncis Scopulorum prætexen-
 tium oram Comorinensem fame ac siti mi-
 serè perire cognoveram, ventis ex adverso
 vehementissimis flantibus, nec remo, nec
 remulco eluctari undas, aut ullâ unquam
 vi appellere vel unam naviculam ad Promon-
 torium potui. Si se isti venti remiserint,
 iterùm illuc me conferam, ut quod potero
 subsidium extremæ infelicitum illorum ino-
 piæ afferam. nam quis tam ferreus cessare
 posset à summo conatu sublevandæ, haud scio
 an non omnium quæ usquam sunt miserabi-
 lissimæ calamitatis illius afflictissimi Populi
 Christum nobiscum colentis. Multi quoti-
 die eorum Manaparem confugiunt, nudi,
 fame confecti, omnium egeni. Scribo Pa-
 tangatinis Combuturis, Punicalis, & Tutu-
 curi-

curini, ut aliquas eis iuvandis eleemosynas corrogent, & ad nos mittant: admonens tamen, ne quid à Pauperibus exigant; sed Dominos agrorum, & similes qui rem habent, orent ut sponte quod possunt conferant in opus tam pium. Hoc quamquam ita mandavi, tamen quia Patangatinorum Genium novi, male metuo ne prætextum inde sumant inopes vexandi: tum in cæteris toto negotio lævè, ut solent, præposterèque defungantur. quare te velim invigilare ut cunèta rectè fiant. præsertim, quod dixi, ne à Pauperibus quidquam accipiatur, nève divites cogantur dare, sed rogentur tantum, ut liberè quantum aut quantulum voluerint largiantur. venire te cupio, & necessarium censeo, in partem magnam ejus curæ. nam Patangatinos pro bono & æquo facturos quidquam, vix sperem. mea tota fiducia in Deo est. quo loco sit negotium ædificationis Templi Combuturensis, libenter ex te sciam. Scribe cunèta distinctè. & an Manuël de Limâ centum Fanaos, quos in id promiserat, jam numeraverit. Cuperem iisdem literis fusè ac plenè cognoscere successum concursationis per Pagos, ac lustrationis Villarum, tuæ. quales ubique

Christianos repereris , quales reliqueris :
 Ecquid , quos per illa loca præfecimus eru-
 diendis Parvulis , benè ubique suo munere
 fungantur . Ego quidem summâ fide pro-
 missas ijs mercedes statis pensionibus per-
 solvo . nec videre possum , ij quid absente
 me faciant . quare de hoc percipio literis
 tuis accuratis , nec brevibus , doceri ; simul
 de te ipso , ut valeas , de loco ubi degis ,
 quid ibi geratur , quo tenore procedat re-
 ligionis negotium . Octiduum in mari fui-
 mus . & nosti expertus , quàm incommoda
 vectura Tonorum sit ; ventis præsertim va-
 lidissimis resstantibus , quales hi fuerunt , quos
 nec extremâ contentione artis ac virium va-
 luimus perrumpere . Deus Dominus Noster
 te continuè protegat . Vale . Manapare præ-
 die Kal. Iulias An. MDCLXIV. 9

Tuus in Christo Amantissimus Frater .

Franciscus .

EPI.